



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Sessio XIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ANNO CHRISTI 1445. *generalis Synodi. Sessio propter causas fuit prorogata ad aliam diem.*

Anno & indictione quibus supra, die vero Veneris vigesima mensis Septembris, facta fuisse debuit sacrosancta Constantiensis Concilii sessio; pro qua quidem sessione fienda certæ in valuis ecclesiarum Constantiæ fuerunt positæ schedulæ: quæ tamen sessio certis de causis rationabilibus ipsum Concilium mouentibus ad diem Lunæ extunc proxime sequentem fuit prorogata.

SESSIO XIX.

ANNO a natiuitate Domini millesimo quadringentesimo decimoquinto, indictione octaua, die Lunæ vigesimatertia mensis Septembris, sede apostolica vacante, fuit celebrata sessio generalis per Synodum Constantiensem, in qua fuit celebratum officium Missæ per reuerendum patrem dominum Nicolaum episcopum Assinatensem. Qua Missa celebrata, incipiebantur litanix, & alia fiebant, vt in sessionibus fieri solitum est. Præsidebat vero in eadem sessione reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuariensis. In qua sessione Hieronymus de Praga per reuerendissimum dominum Petrum cardinalem Cameracensem & alios deputatos per Concilium, in materia fidei instructus & informatus de fide recta sanctæ matris ecclesiæ, qui iam fuerat accusatus de hæresi, & per Concilium super hoc incarcerationatus, quamdam reuocationis seu abiurationis papyri schedulam, stans in ambone publice, alta & intelligibili voce legebat, reuocans & abiurans, prout in eadem schedula, cuius tenor sequitur, continetur.

Abiuratio Hieronymi de Praga.

Ego Hieronymus de Praga artium liberalium magister, cognoscens veram catholicam ecclesiam & apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipue eam, de qua hæctenus infamatus fui, & quam præteritis temporibus dogmatizauerunt & tenuerunt Ioannes Vucleff & Ioannes Hus in suis opusculis, libellis seu sermonibus ad clerum & ad populum, propter quam causam prædicti cum suis dogmatibus & erroribus damnati sunt ab hac dicta Constantiensi Synodo tamquam hæretici, & eo-

rum doctrina prædicta sententialiter damnata, maxime in nonnullis articulis expressis, in sententiis per hoc sacrum Concilium contra ipsos latis. Consentio autem sanctæ Romanæ ecclesiæ & apostolicæ sedi & huic sacro Concilio, & ore ac corde profiteor in omnibus & per omnia, & præfertim de clauibus, sacramentis, ordinibus, officiis & censuris ecclesiasticis, indulgentiis, & reliquiis sanctorum, & ecclesiastica libertate, ac etiam de ceremoniis, & aliis omnibus ad religionem Christianam pertinentibus, prout ipsa Romana ecclesia & apostolica sedes, & hoc sacrum Concilium profitentur: & specialiter, quod prædictorum articulorum plures sunt notorie hæretici, & dudum a sanctis patribus reprobati: quidam vero blasphemii, alii erronei, alii scandalosi; quidam vero etiam piarum aurium offensiui, & ipsorum nonnulli temerarii & seditiosi: & pro talibus fuerunt prædicti articuli per hoc sacrum Concilium & nuper condemnati, & inhibitum omnibus & singulis catholicis sub anathematis interminatione, ne de cetero dictos articulos seu eorum aliquem aliquis prædicare, dogmatizare, vel tenere præsumeret.

Item ego Hieronymus antedictus, quia in nonnullis artibus scholasticis ad persuadendam opinionem de vniuersalibus realibus, & quod vna communis generis essentia esset homo, leo, bos, &c. quodque vna essentia specificasset plura eiusdem speciei supposita & quodlibet eorum, vt Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & sic de singulis; & ad hoc inducendū velut exemplo sensibili descripsi quamdam triangularem figuram, quam scutum fidei nominavi: ideo ad excludendum intellectum erroneum & scandalosum, quem fortassis aliqui ex hoc accipere potuerunt, dico, assero & declaro, quod dictam figuram non feci, nec eam nominavi scutum fidei ea intentione, quod vellem dictam opinionem de vniuersalibus extollere super opinionem contrariam, sic quasi esset scutum fidei, quod sine eius positione non posset fides aut catholica veritas protegi & defendi, cum nec dictæ positioni velim pertinaciter adhærere: sed hoc ideo dixi, quia in dictæ figuræ triangularis descriptione ponebam exemplum, quod diuina essentia est tria differentia supposita & quodlibet eorum, scilicet Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, qui quidem Tri-

nitatis

ANNO
CHRISTI
1445.

ANNO
CHRISTI
1445.

ANNO
CHRISTI
1415.

nitatis articulus, est præcipuum scutum fidei, & veritatis
catholicæ fundamentum. Præterea vt cunctis pateat, quæ
fuerunt causæ, quare fui reputatus adharere & fauere
dicto quondam Ioanni Hus, notum facio per præsentem,
quod cum multoties audiuissem eum in prædicationi-
bus & scholis, credidi eum virum bonum esse, nec in a-
liquo obuiare traditionibus sanctæ matris ecclesiæ ac san-
ctorum doctorum. Imo etiam cum nuper in hac ciuitate
mihi fuissent oblatis articuli per eum positi, & per hoc sa-
crum Concilium damnati, prima fronte non credidi suos
esse, saltem in ea forma. Cumque ab aliquibus egregiis
doctoribus ac magistris in sacra pagina audiuissem affir-
mari quod sui erant, postulauit pro mea plena informatio-
ne, mihi ostendi libros manus suæ, in quibus dicti articuli
contineri dicebantur. Quibus mihi ostensis, manu pro-
pria eiusdem scriptis, quam vt meam propriam bene cog-
nosco, dictos articulos omnes & singulos in ea forma
qua damnati sunt, reperi esse conscriptos. Vnde non im-
merito comprehendi & comprehendo ipsum & suam do-
ctrinam cum eorum sequacibus per hoc sacrum Conci-
lium damnatam & reprobata fuisse, tamquam hæreti-
cam & insanam. Et hæc omnia supradicta dico pure & si-
ne conditione, vt iam plene & sufficienter informatus de
prædictis sententiis latis per hoc sacrum Concilium con-
tra doctrinas dictorum quondam Ioannis Vuicleff &
Ioannis Hus, & contra ipsorum personas: quibus senten-
tiis tamquam deuotus catholicus in omnibus & per om-
nia humiliter consentio atque adhæreo.

Item ego idem supradictus Hieronymus, qui alias co-
ram reuerendissimis patribus dominis cardinalibus, &
venerandis dominis prælatis & doctoribus, & aliis vene-
rabilibus personis huius sacri Concilij, in isto eodem loco
voluntarie, libere & spontanee exponens & declarans in-
tentionem meam, inter alia loquens de ecclesia, eam tri-
farie distinxit, & vt percepi postea, tunc a quibusdam intel-
lectum est, quod vellem dicere, quod in ecclesia trium-
phante esset fides, cum tamen credam firmiter, quod ibi
sit beatificata visio, ænigmaticam cognitionem excludens:
nunc dico, assero & declaro, quod nunquam fuit inten-
tionis meæ dicere, quod ibi esset fides sub ratione fidei,

Concil. Tom. 29.

Nnn

sed cognitio fidem subæquialenter excedens. Et generaliter quidquid ibi vel antea dixerim, refero & subiicio humili corde determinationi huius sacri Concilij Constantiensis.

ANNO
CHRISTI
1415.

Insuper iuro, & per sanctam Trinitatem & per hæc sacrosancta euangelia, me in veritate ecclesiæ catholicæ semper & sine dubio permanfurum, & omnes qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus suis æterno anathemate dignos eos pronuntio. Et si ego ipse aliquando (quod absit) aliquid contra sentire aut prædicare præsumpsero, Canonum seueritati subiaceam, & æternæ pœnæ obligatus inueniar. Hanc autem * confessionem & profes-
sionem, * profes-
sionem,

Deinde dominus Bertholdus de Vuildung sacri palatii apostolici causarum auditor legebat quamdam ordinationis schedulam conceptam super regula sancti Francisci, & alia infra scripti tenoris subsequens de consensu partium.

Dilectis ecclesiæ filiis, generali & prouincialibus ministris, custodibus, ceterisque ordinis Minorum professoribus, salutem & omnipotentis Dei benedictionem.

Supplicationibus personarum, quæ voto religionis sunt adstrictæ, illis præsertim libenter annuimus, quas ad finem tendere conspiciamus, per quem personæ ipsæ sub * pacata
tranquillitate iuxta suam professionem quiescant, ac sedulum & tranquillum in humilitatis spiritu Domino reddere valeant famulatum. Nuper siquidem supplicatio pro parte religiosorum virorum guardianorum & fratrum vestri ordinis conuentuum, videlicet Sagienfis, de sancto Audomaro Morinensis diœcesis, de Varenis Rhemenfis, de Dola Bisuntinensi, de la Valle Cenomanensis, de Elicio Nannetensis, de Ambasia Turonensis, de sancto Ioanne Angeliacensis, Xantonensis de Bercorio, de Toletto & de Fontiniaco communitatis Maleacensis diœcesis, infra prouincias Franciæ, Burgundiæ, & Turonensem, iuxta modum dicti ordinis existentium, nobis humiliter præsentata continebat, quod diuina cooperante clementia, temporibus his nouissimis regularis obseruantia vestri iam

ANNO
CHRISTI
1415.

dicti ordinis in præfatis conuentibus inceptat vigere, sed variis obstantibus impedimentis per ministros & custodes illarum prouinciarum eis præstitis, in ipsa stricta obseruantia non mediocriter impediabantur, quorum impedimentorum occasione scandala multa pullulabant: humiliter & deuote supplicantes, quatenus eis de remedio opportuno prouidere dignaremur. Nos igitur eorum supplicationibus tamquam iustis benigne annuentes, cupientesque multa scandala vestri ordinis tollere, atque vnitatem in eo conseruata fratres in pacis dulcedine conseruare, statuimus & decernimus, eisdem supplicationibus fore prouidendum, & de facto, tenore præsentium eis prouidemus, iuxta formam per reuerendissimos patres dominos, videlicet Iordanum episcopum Albanensem de Vrsinis, ipsius ordinis protectorem, & Petrum tituli sancti Chryzogoni presbyterum cardinalem Cameraensem, vulgariter nuncupatos, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, & alios ex parte huius sacri Concilii super hoc deputatos, specialiter auisatam, ordinatam & traditam, atque per religiosum virum fratrem Ioannem * Rhotani in sacra pagina professorem, & vicarium ministri generalis antedicti, vna cum aliis pluribus magistris & discretis patribus ipsius ordinis ex vna parte, & fratres prænominatos conuentus repræsentantes ex alia concordatam, videlicet quod fratres conuentuum prædictorum de cetero, & quousque aliud super hoc per sacrum Concilium generale fuerit ordinatum, possint & valeant, quilibet in sua prouincia, eligere de sua stricta obseruantia vnum fratrem idoneum, quem in scriptis ministro illius prouinciæ præsentatum, ipsum dictus minister infra triiduum post huiusmodi præsentationem suum vicarium constituere debeat, ad ipsos regendum in solidum loco & vice eius, & eis prouidendum in omnibus quibuscumque & ipsis modis quibus ipse minister prouincialis etiam prouidere posset, ita quod de ipsorum fratrum regimine in nullo possint se intromittere dicti prouinciales, vel custodes, sed ad ipsos vicarios cura & correctio eorum omnino pertineat, excepto quod ad suæ superioritatis cognitionem minister prouincialis ipsos possit, si voluerit, visitare in propria persona, & tunc punire de consensu maio-

rum & discretorum conuentus, in quo fiet hæc visitatio, quidquid punitione dignum repererit: quem si constitutere renuerit modo prædicto, extunc constitutio eiusdem præsentati ad vicarium ministri generalis inferius annotatum deuoluatur & pertineat absolute. Qui quidem vicarii huiusmodi trium prouincialium possint & debeant vna cum fratribus discretis sibi subditis, forma solita in electionibus ordinis seruata, insimul eligere inter se vnum alium fratrem ad hoc sufficientem & idoneum pro eorundem vicariorum correctione & totius strictæ huius obseruantia in prædictis prouinciis meliori regimine, quem per eos in scriptis ministro generali ordinis, qui erit pro tempore, humiliter præsentatum, ipsum minister super illos suum vicarium constituere infra triduum post illam præsentationem benigne debeat & caritatiue: alioquin ipso triduo transacto, sit & habeatur vicarius ipsius generalis, auctoritate ipsius sacri Concilii constitutus. Qui quidem vicarius generalis in sua congregatione, vel alias solus debeat & possit vicarios præactos (quoties opus erit) punire, & ipsis ac fratribus aliis sibi subditis prouidere in omnibus quibuscumque casibus, quibus minister generalis eis potuisset prouidere, ne ipsos, vt sæpius contingit, quoties generali ministro indigent, longius oporteat euagari. Et pro hac vice primaria constituimus in præfatum generalis ministri vicarium, fratrem Nicolaum Rudolphi apud nos de hac obseruantia laudabili prouidentia ac diligentia solerti multipliciter commendatum, quem volumus posse deponi, quoties vicariis & aliis fratribus discretis sæpe dictis videbitur expedire. Possit tamen generalis minister qui est & qui erit pro tempore, ipsos fratres & conuentus in sua persona, quoties voluerit, visitare, prælibato vicario non obstante, & punire, si quid in dicta visitatione puniendum repererit, sicut moris est in ordine, & alias facere consuevit. Verumtamen non intendimus, quod prædicti vicarii propter mortem, depositionem seu mutationem illorum quorum vice funguntur, possint a suis officiis remoueri, vel in eis impediri, nisi super hoc assensus maiorum & discretorum sibi subditorum prius interuenierit, ad quos semper eos deponere, & alios eligere, antedictis generali prouincialibusque ministris præsentare

ANNO
CHRISTI
1415.

modo & forma præmissis (quoties fuerit opportunum) volumus & decernimus pertinere. Insuper possit & debeat ipse generalis vicarius & sui successores, conuentus sibi pro tempore subditos, ad statum dictæ strictæ obseruantiaæ consonum, iuxta declarationes & statuta sedis apostolicæ & ordinis, reducere, tollendo quascumque superfluitates, siue sint in rebus mobilibus, siue immobilibus, quantum fieri poterit bono modo, habito semper consilio maiorum & discretorum sibi obedientium, eligendo (si opus fuerit) aliquos fideles, qui ipsas superfluitates auctoritate huius sacri Concilii vendant, commutent, aut alias in piis operibus conuertant. Insuper statuimus, quod omnes & singuli conuentus prædictarum prouinciarum, quoties maiori vel saniori parti fratrum in eis existentium placuerit, ad hanc strictam obseruantiam se reducere, & vicariis antedictis se subdere, hoc libere facere possint. Et etiam singuli fratres cuiuslibet conuentus dicti ordinis, contradictione cuiuscumque non obstante, a quorum vicariorum obedientia & subiectione nullus exire possit sine speciali licentia vicarii generalis antedicti. Non tamen per hoc intendimus, quin fratres & conuentus, qui voluerint, possint secundum hanc strictam obseruantiam viuere, manendo etiam immediate sub cura ministrorum prouincialium, exceptis tantum prænominatis conuentibus & conuentu de Mirabello Pictauiensis diocæsis, quem volumus expresse & ordinamus, curæ & regimini prædictorum vicariorum subesse, & ex causa, vt sicut in eo hæc stricta obseruantia regularis in partibus illis sumpsit exordium, ita in illo tamquam in aliorum speculo semper elucescat. Ceterum cum iuxta sententiam Sapientis, volatilia ad sibi similia libenter conueniant, statuimus, quod quando fratres huiusmodi obseruantiaæ, peregrinationis studio, vel alias per mundum proficiscuntur, ad loca conuentus communitatis ordinis declinent, si voluerint: ad alia vero loca fratrum in obseruantia sibi similium semper declinare teneantur, iuxta quod in statutis ordinis continetur. Insuper quilibet prouincialis minister prouinciarum præmissarum, vicario generali sæpe dicto pro præsentibus duos conuentus in sua prouincia fideliter assignet, aptos ad manendum, muni-

Eccles. 27.

tos libris & aliis rebus pro cultu diuino, quoties ab eodem vicario, per literas aut alias in suo principali capitulo fuerit requisitus, eligendos per ipsum prouincialem: ita quod propter hanc assignationem mobilia quaecumque dictis conuentibus pertinentia, quomodocumque sit, non debeant abigi seu segregari, secundum dispositionem cardinalis protectoris vestri ordinis. Et si contigerit, quod ministri prouinciales & custodes, vel alii expulerint vel eiecerint fratres huiusmodi obseruantiae ab aliquo seu aliquibus conuentuum praenominatorum a quindecim mensibus citra violenter, & alios loco eorum ibidem collocauerint, vel mobilia ad ipsos conuentus seu aliquem ipsorum spectantia deportauerint: volumus & mandamus districte, praedictos fratres indilate recedere & exire a dicto conuentu, mandantes tenore praesentium praelibato vicario generali, quatenus auctoritate nostra omnibus modis quibus fieri poterit honeste & licite ipsos exire, & praedicta bona restituere compellat per censuras ecclesiasticas, & alios fratres & subditos suos de nouo ibidem collocando, omnibus quibuscumque districte prohibentes, ne quis eum super hoc impedire praesumat sub excommunicationis poena, sed magis ei praebat vnusquisque super hoc requisitus per ipsum potius auxilium & iuuamen. Statuentes vltterius, ne deinceps fratres huiusmodi strictae obseruantiae fiant capellani honoris, vel maneant continuo in domibus saecularium causa confessionis vel alia, citra tamen aliorum fratrum vestri ordinis praerudicium, ne forsitan freno obedientiae laxato, vel profana conuersatione feruor deuotionis eorum tepescat. Praecipimus insuper & mandamus districte in virtute sanctae obedientiae omnibus & singulis fratribus conuentuum praedictorum, & aliis in futurum sub cura & regimine praetactorum vicariorum constitutis, quatenus ipsis firmiter obediant & pareant cum effectu in omnibus, in quibus fratres illius ordinis suis generalibus & prouincialibus ministris obedire debent aut tenentur. Ceterum cum praedicta sint de voluntate partium (sicut praefertur) per nos statuta & ordinata, districte inhibemus omnibus & singulis ministris & custodibus, qui sunt & erunt in futurum, & aliis fratribus vestri ordinis, ne occasione

ANNO
CHRISTI
1415.

controuerſiæ prius ſuper his motæ, aut proſecutionis in præſenti Concilio factæ, aut alia quauis cauſa fratres de hac obſeruantia præſentes vel futuros inquietent, moleſtent, vel affligant, ſeu eorum vicarios vel de ſecta noua, vel reprobata quomodolibet uocent. Nec etiam fratres dictæ obſeruantia alios fratres veſtri ordinis, aut eleemoſynas, aut oblationes ſibi dandas impedire præſumant. Quod ſi de cetero alii aliis facto circa præmiſſa aut eorum aliquid hinc inde iniuriati fuerint, manus violentas in eis ponendo, eos incarcerando, arreſtando, libris ſpoliando, aut alias maculam hæreſis falſo imponendo, ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrant iniuriatores, a qua non poſſint, articulo mortis excepto, abſolui, niſi per eundem cardinalem, qui pro tempore huius ordinis erit protector. De ceteris uero leuioribus iniuriis uerbalibus, omnes quicumque fuerint in hoc culpabiles deprehenſi, per eorum prælatos puniantur, circa præmiſſa ſententiarum fulminationibus aut appellationibus interpoſitis, & literis felicis recordationis Alexandri papæ quinti, & earum confirmatione non obſtante, quas tenore præſentium reuocamus, caſſamus & annullamus, ac nullius roboris vel momenti declaramus, & aliis quibuſcumque ſtatutis apoſtolicis vel huiusmodi ordinis in contrarium editis non obſtantibus. Nulli ergo, &c.

Datum Conſtantia nono Kalendas Octobris, anno a natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo decimoquinto, apoſtolica ſede vacante. Qua ordinatione lecta & approbata, idem dominus Bertholdus auditor de ſimili mandato & uoluntate legebat aliud ſtatutum, ordinationem ſeu decretum.

Quod non obſtantibus ſaluſconductibus imperatoris, regum, &c. poſſit per iudicem competentem de hæretica prauitate inquire.

Præſens ſancta Synodus ex quouis ſaluſconductu per imperatorem, reges, & alios ſæculi principes, hæreticis, vel de hæreſi diffamatis, purantes eoſdem ſic a ſuis erroribus reuocare, quocumque uinculo ſe adſtrinxerint, conceſſo, nullum fidei catholicæ vel iuriſdictioni eccleſiaſtica præiudicium generari, vel impedimentum præſtari poſſe, ſeu debere declarat, quo minus, dicto ſaluſconductu non ob-

stante, liceat iudici competenti & ecclesiastico, de huiusmodi personarum erroribus inquirere, & alias contra eos debite procedere, eosdemque punire, quantum iustitia suadebit, si suos errores reuocare pertinaciter recusaerint, etiam si de saluoconductu confisi, ad locum venerint iudicii, alias non venturi: nec sic promittentem, cum fecerit quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum. Quo statuto siue ordinatione lectis, idem statutum fuit approbatum per dominos episcopos nomine quatuor nationum, ac reuerendissimum patrem dominum cardinalem episcopum Ostiensem nomine collegii cardinalium, per verbum, Placet. Subsequenter mandato & voluntate Synodi prædictæ, idem dominus Bertholdus auditor legit vnam aliam ordinationem, videlicet executoriam super constitutione Carolinæ, in qua mandatur domino vicecancellario pro tempore dare literas executorias super constitutione Carolinæ, prout habetur in libris cancellariæ, omnibus eas habere volentibus, huiusmodi sub tenore.

Quod dominus vicecancellarius expediat Carolinam sub bulla sacri Concilii Constantiensis.

Carolinam istam, quoniam mox in hac sessione expedita non fuit, sed aliquanto post, non hic, sed in fine huius Synodi adiectam offendit.

Cum in generalibus Conciliis, maxime Lateranensi, prouide quædam fuerint statuta, libertatem ecclesiasticam concernentia, quæ piæ memoriæ Fridericus secundus in feruore deuotionis Romanæ ecclesiæ tunc persistens, etiam quædam statuit & adiunxit; & demum per felicis recordationis Honorium tertium fuit eiusdem Friderici constitutio approbata, & consequenter per diuæ memoriæ Carolum quartum eadem fuit approbata, & quædam alia in fauorem ecclesiasticæ libertatis adiecta, quæ in libro cancellariæ Romanæ ecclesiæ latius continentur: hæc sancta Synodus decernit & mandat domino vicecancellario eiusdem Romanæ ecclesiæ, vt executorias literas super ipsis expediat in forma dari solita. Subsequenter fuit lectum statutum seu ordinatio, in qua committebantur omnes & singulæ causæ hæresis contra quascumque personas in regno Bohemiæ, & aliis certis iudicibus inferius in eadem descriptis in hunc modum.

Commit-

ANNO
CHRISTI
1415.*Committuntur causæ hæresis certis iudicibus.*

Item prædicta Synodus Constantiensis omnes & singulas causam & causas hæresum, ex erronea & peruersa doctrina damnatæ memoriæ Ioannis Hus hæretici in regno Bohemiæ & in Morauia exortas sapientes, etiam criminales ex eis, vel eorum occasione contra quascumque personas, tam ecclesiasticas quam sæculares, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis aut præminentia existant, & quacumque præfulgeant dignitate, emergentes, dictique Ioannis Hus & dogmatum falsorum eiusdem fautores, defensores & sequaces, reuerendis in Christo patribus & dominis, dominis Ioanni patriarchæ Constantinopolitano, & Ioanni episcopo Siluanectensi, coniunctim & diuisim committit audiendas, decidendas, cognoscendas, & sine debito terminandas, cum omnibus & singulis suis emergentibus, incidentibus, dependentibus & connexis, & cum potestate citandi personarum omnes & singulos suspectos in fide ibidem degentes, & coram eis in genere & in specie nominandos coniunctim & diuisim, in Romana curia per edictum publicum & in partibus & in locis conuicinis affigendum & publicandum, cum ad easdem partes, præsertim ad prædictos de fide suspectos, pro huiusmodi citatione exequenda tutus non pateat accessus, habita tamen prius informatione summaria in præmissis, non obstante, quod alias præfata Synodus certis iudicibus generaliter quarumcumque hæresum causas commiserit, vsque ad diffinitiuam sententiam exclusiue cognoscendi, & coram quibus aliqua pendent indecisæ, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque.

Item præfata sancta Synodus vult, ordinat atque decernit, quod in dictis aliis hæresum causis, ex iudicibus alias per Concilium prædictum deputatis, decem eorum, aliis absentibus, possint & valeant in ipsis procedere, & terminos in prædictis causis seruare, ut eo facilius, commodius & celerius causæ huiusmodi terminentur, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Subsequenter fuit lectum statutum de fructibus percipiendis vnus beneficii per hos qui sunt in Concilio, huiusmodi sub tenore.

Concil. Tom. 29.

〇〇〇

*Quod beneficiati in Concilio praesentes recipiant fructus
beneficiorum eorum in absentia.*

ANNO
CHRISTI
1495.

Item cum absentes causa reipublicae ecclesiasticae personae in ecclesiis, in quibus beneficiati sunt, praesentes merito reputantur, ideoque ut omnes & singuli beneficiati huius sacri Concilii praesentes, & qui ad illud pro tempore accesserint, eo commodius ipsi Concilio interesse, & in illo usque ad finem valeant remanere: dictum Concilium statuit & decernit, quod ipsi omnes & singuli pro residentibus siue praesentibus interim in suis beneficiis sunt habendi, ita quod omnes & singulos redditus, fructus & proventus suorum beneficiorum ac residentiae personalis in ipsis beneficiis, in quibus residebant, aut in quibus residerent, si eiusdem Concilii prosecutio seu interessentia eis non obstaret: ac alii etiam curiales beneficiati, qui de suis beneficiis ad praefatum Concilium non accesserunt, alias tamen praesentes in curia in eodem Concilio laborauerunt, etiam si primam non fecerint residentiam personalem consuetam; vnus tantum beneficium pro quolibet eorum, vigore huius decreti: eorundem beneficiorum absentium, de aliis suis beneficiis, de iure & consuetudine, priuilegio aut licentia suorum superiorum semper saluis, etiam si canonicatus, aut praebendae, aut dignitates, aut personatus vel officia in cathedralibus & metropolitanis maiores post pontificales, seu collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, durante ipso Concilio, eisdemque in eodem Concilio perdurantibus, etiam a tempore itineris arrepti huiusmodi ad praefatum Concilium, quousque ad eadem sua beneficia ipsi, Concilio finito, commode redire potuerint, aut quamdiu curiales praedicti in eodem Concilio laborauerint; cum ea integritate percipere valeant & debeant, cum qua illos perciperent, si in suis beneficiis praedictis interim personaliter residerent, & administrarent in eisdem, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, contrariis non obstantibus quibuscumque, & cum executionibus exprimendis in cancellaria, si fuerit opportunum. Quo statuto lecto, ut praefertur, fuit nomine quatuor nationum & cardinalium per praedictos dominos

ANNO CHRISTI 1415.
episcopos deputatos & cardinalem Viuariensem responsum, Placet. His habitis & factis, reuerendus pater dominus Antonius episcopus Concordiensis nomine Synodi prædictæ legebat vnum aliud statutum & ordinationem super expeditione literarum prouisionum ecclesiarum, monasteriorum, in hunc modum.

Quod literæ super prouisionibus ad patriarchales, metropolitanas & alias ecclesias per olim papam Ioannem vsque ad suspensionem concessæ, expédiantur.

Item dicta sancta Synodus statuit, ordinat & decernit, quod literæ super quibuscumque prouisionibus ad quascumque patriarchales, metropolitanas & alias cathedrales ecclesias, ac etiam monasteria, de quibuscumque personis per dominum Baltasarem tunc Ioannem papam vigesimumtertium, vsque ad ipsius administrationis in spiritualibus & temporalibus suspensionem factis, de quibus per libros reuerendissimi patris domini Ioannis episcopi Ostiensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ vicecancellarii, & cancellariæ apostolicæ constabit, per eundem episcopum & cancellarium sub nomine & bulla dictæ Synodi possint & debeant expediri, quatuor deputatis nationum sibi assistentibus: & hoc, nisi ex libro promotionum secundum stylum cancellariæ appareat obstaculum, vel alias canonicum impedimentum. Præmissis verò lectis, fuit responsum per dominos episcopos deputatos nomine quatuor nationum, ac dominum Ioannem episcopum Ostiensem nomine collegii cardinalium, Placet. Contradicente tamen reuerendo patre domino Elia Aniciensis episcopo pro se, & domino Dominico de Ragusio, ambasiatore & nuntio archiepiscopi Spalatenfis, qui duo in huiusmodi statutum super prouisionibus ad patriarchales, &c. non consenserunt. Et dominus Dominicus dixit, ipsum statutum secundum omnia sua verba non placere, & præsertim vltimam clausulam, videlicet: Et hoc, nisi ex libro promotionum secundum stylum curiæ appareat obstaculum. Super quibus approbationibus & contradictionibus venerabilis vir magister Henricus de Piro, & Ioannes de Scribanis, promotores & procuratores supradictæ Synodi petierunt per domi-

nos protonotarios sedis apostolicæ, ac notarios Concilii prædicti, ceterosque tabelliones ibidem præsentés, vnum vel plura fieri, publicum vel publica, instrumentum & instrumenta, ad perpetuam rei memoriam. Præsentibus ibidem reuerendissimis patribus dominis cardinalibus, protonotariis, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, doctoribus, nuntiis, & principum, vniuersitatum & studiorum ambasiatoribus, testibus, &c.

ANNO
CHRISTE
1415.

SESSIO XX.

Super monitorio contra ducem Austriae pro episcopo Tridentinensi.

ANNO a natiuitate Domini millesimo quadringentesimo decimoquinto, indictione vero octaua, die Iouis vigesima prima mensis Nouembris, fuit celebrata sessio generalis in maiori ecclesia Constantiensi, præfidente in eadem reuerendissimo in Christo patre domino Ioanne episcopo Ostiensi sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali & vicecancellario. Fuitque decantata Missa solennis de gloriosâ virgine Maria, per reuerendum patrem dominum Antonium episcopum Zopoludensem. Qua completa, fiebant solennitates more aliarum sessionum. Quibus expletis, reuerendus pater dominus Antonius episcopus Concordiensis quasdam legebat monitorii & aliarum ordinationum schedulas tenoris subsequenti.

Decretum monitorii in causa Tridentina.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis vniuersis & singulis Christi fidelibus salutem & omnipotentis Dei benedictionem.

Grauem querelam venerabilis fratris nostri Georgii episcopi Tridentinensis accepimus, continentem, quod illustris princeps Fridericus dux Austriae ipsum in canonica possessione ecclesiæ & ciuitatis Tridentinensis, & oppidorum, castrorum, villarum, terrarum & locorum, iuriumque & aliorum bonorum mobilium & immobilium, ad eandem ecclesiam & ipsum episcopum pertinentium, alias sexdecim annis pacifice existentem, ecclesia, ciuitate, oppidis, castris, terris, villis, locis ac iuribus & bonis